scriptum fuisse, unde scribas aliud agentes *ἀντιπλοίας* effinxisse. Contrario errore apud Themistium ex ЄΥΠΛΟΙΑC *εὐπαθείας* natum est.

Apud Suidam in v. *Τὰ Σαμίων* dicitur *σάμη* esse *εἶδος πάθους Σαμιακοῦ*, ubi viri docti infeliciter admodum *σκάφους* pro *πάθους* coniecerunt. Unusquisque statim intelliget *πλοίου Σαμιακοῦ* reponi debere et causam erroris perspiciet.

Non tantum simile, sed plane idem vitium quod e Themistio eluimus, commissum est in Floril. Stobaei CXX. 25. *τὸν ἀπὸ τῆς ϛοᾶς φιλόσοφον Ἀντίπατρον ἀποθνήσκοντα λέγουσιν ἐν εὐτυχήματος μέρει διακεῖσθαι καὶ τὴν ἐκ Κιλικίας αὐτῷ γενομένην εἰς Ἀθήνας εὔπλοιαν*, ubi pro *εὔπλοιαν* Grotius *εὐπάθειαν* enotavit. Apud eundem Stobaeum Floril. CV. 29. *εὖ παθοῦσιν* pro *εὐπλοοῦσιν* scriptum est manifesto errore. Cf. quae de ea re diximus in *Var. Lectt.* p. 2 et in *Nov. Lectt.* p. 334.

In Stobaei l. l. vitiosum est *διακεῖσθαι*. Quid reponam non habeo, nam *διηγεῖσθαι* non placet. In vita Marii cap. 46 de eadem re scripsit, *τὸν Ταρσέα λέγουσιν Ἀντίπατρον — μηδὲ τῆς εἰς Ἀθήνας οἴκοθεν εὐπλοίας ἐπιλαθέσθαι.*

3.

Aeschyli fragmentum emendatum.

Nauckius in Fragm. Trag. Graec. pag. 73 ex Crameri Anecd. Oxon. I. p. 119, 12 fragmentum Aeschyli exhibet sic scriptum:

πᾶσα γὰρ Τροία δέδορκεν Ἕκτορος τύχης διαί.

Nemo ex his umquam sanum sensum exsculpat. Nil iuvat Bernhardy pro *δέδορκεν* coniiciens *δέδουπεν*. Duplex in vulgata scriptura vitium est, quod quum lenissima correctione sustuleris clara luce locus splendebit. In *τύχης*, ut passim alibi, latet *ψυχῆς*: ΔЄΔΟΡΚЄΝ vitio natum est ex ΔЄΔΟΙΚЄΝ. Poëta dederat:

πᾶσα γὰρ
Τροία δέδοικεν Ἕκτορος ψυχῆς δία.

quod more Aeschyleo magnifice dictum est pro *Ἕκτορος φοβηθέντος πᾶσα ἡ Τροία εἰς φόβον καθίϛαται.*

C. G. COBET.